



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

10. Romanus Pontifex, &c. Quâ decernitur, & mandatur; ut in Italia, eique
adjacentibus Insulis, Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis
quorumcumque Regularium de cætero tumulabuntur, Quarta ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1725. vel ignorantèr contigerit attentari, Quocirca Venerabili Fratri Hieronymo moderno, ac pro tempore pariter existenti Archiepiscopo Ravennaten., per præfentes Motu pari committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios, præfentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte interesse in præmissis habentium, seu alicujus eorum fuerit requisitus, solemniter publicans, illisque in eisdem præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra illos, & eorum quemlibet præsentium Literarum, & in eis contentorum hujusmodi commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere: non permit- tens illos desuper à quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebitè molestari, perturbari, vel inquietari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per sententias, censuras, & penas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo: legitimisque super his habentibus processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstant, Lite, & Cardinalium resolutione supradictis, ac fel. rec. Bonifacij PP. VIII. Prædecessoris etiam Nostri, de una, & Concilij Generalis, de duabus dietis, dammodò ultra tres dietas aliquis auctoritate præsentium in Judicium non trahatur, necnon Pauli III. Literis prædictis, & Cancellariæ Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis atque quatenus opus sit, Collegij prædicti, aliisque quibuslibet etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eidem Collegio, ejusque personis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatorijs, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & alijs Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, & Potestatis plenitudine similibus, ac Consistorialiter, & alijs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & inferrentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis, habentes, illis alijs in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XI. Aprilis MDCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno Primo. *Fr. Card. Oliverius.*

11. April.
1725.

Loco † Sigilli.

Quæ decernitur, & mandat, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, Parochis Defunctorum, qui in Ecclesijs quorumcumque Regularium de cætero tumalabuntur, Quarta Funeralis persolvatur cum alijs ordinationibus, & derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex æqui, bonique supremus Auctor, auctoritatem à Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen sibi traditam intelligens, ut ex Agro Dominico pro temporum necessitate noxia evellat, & destruat, utiliaque plantet, ac ædificet, ea interdum, quæ à Prædecessoribus suis ob rationales, & justas causas olim sancta fuerunt, ubi in

grave aliorum præjudicium, & detrimentum redundare cognoscit, atque diffidijs, & contentionebus fomentum præbere animadvertit, maximè inter Dei, & Ecclesiæ Ministros, quorum est evangelizare pacem, & quibus à Domino non aliud frequentius, neque enixius commendatur, quàm ut pacem, ac unitatem diligant, moderari, & immutare, aliasque Pastoralis Officij sui partes desuper interponere solet, prout rerum, locorum, temporumque circumstantiis, maturè pensatis, discordiarum extinctioni, Ecclesiasticorum Ministrorum quieti, fidelium Animarum salutem, divinoque cultui conspicit salubriter expedire.

Sane quàmplures Romani Pontifices Prædecessores nostri multiplicia, ac planè insignia considerantes merita Ordinum Regularium, qui militantem in terris Ecclesiam fortissimis omni tempore auxerunt præsidijs, Viris nempe vitæ sanctitate, doctrinæ laude, ac Orthodoxæ Religionis zelo præstantibus, eidemque in Cælis triumphanti eximij fulgoris lumina addiderunt, ipsos Ordines, eorumque Professores, plurimis satis amplis Indultis, & privilegijs benigne decorarunt, ac inter alia iis illud concesserunt, ut canonicam portionem, seu quartam funeralium emolumentorum partem pro personis, quæ in eorum Ecclesijs sepulturam sibi eligerent, Parochis persolvere minimè tenerentur; ac ad majorem ejusmodi Privilegij firmitatem, sanctionem etiam à fel. rec. Clemente V. Prædecessore nostro editam in Concilio Viennensi, & relate in Clementinâ *Dudum de Sepultur.*, necnon Concilii Tridentini Decreto relato in *cap. 13. sess. de reformat.*, prædictam Quartam Funeralem Parochia aperte reservantibus, non semel amplissimè derogarunt; Unde non acerbè modò Parochorum querelæ, sed innumere etiam contentiones, atque lites inter eos, & Regulares super solutione ejusdem Quartæ diversis temporibus excitatæ fuerunt, quæ coram Ordinarijs Locorum & deinde in variis quoque alia Urbis nostræ Tribunalibus, præsertim vero in Auditorio Palatii nostri Apostoli, & in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium præfati Concilii Tridentini Interpretum magno Partium studio, nec minori sumptuum incommodo discussæ, sicut accepimus, aliquandò ad favorem Parochorum, aliquandò autem ad favorem Regularium, pro diversis Casuum circumstantiis, atque vario Judicantium sensu, decisæ, ac definitæ fuerunt. Hæc porro Judicatorum, Sententiarumque diversitas, cum nullam certam, ac determinatam constituerit regulam in evenientibus casibus observandam, magnum planè fomentum, & ansam relinquit, imò & latam sternit viam ulterioribus inter prædictos Regulares, & Parochos litibus, & controversiis, ex quibus ipsi, qui in domo Dei ambulare debent cum consensu, novis de cætero perturbari diffidijs, novisque prægravari dispendijs possunt cum Divini Cultus detrimento, & scandalo plurimorum.

Quocirca Nos maximè expedire censentes, ut ejusmodi controversiæ, & lites ab Ecclesia Dei penitus arceantur, ac insuper, licet universos Ordines Regulares, in quibus, nempe in Ordine Fratrum Prædicatorum, Nos ipsi plurium annorum spatio versati sumus, speciali paternæ charitatis affectu prosequamur, eosque, uti de Ecclesia, Catholica Fide, & Sede Apostolica optimè meritis, præcipuo semper in honore, ac pretio, habuerimus, & habeamus, nihilominus considerantes exemptionem à solutione Quartæ Funeralis præfatis Ordinibus à dicta Apostolica Sede concessam modò vergere in maximum Parochorum præjudicium, tum propter multiplicationem Conventuum, & Monasteriorum Regularium, tum etiam propter auctam devotionem, & consuetudinem Fidelium sepulturam eligendi in Ecclesijs prædictorum Regularium; ac proinde non modò consentaneum, sed etiam necessarium arbitramur, ut eorundem Parochorum quibus cæteris Sacri Canonibus, & prisca Ecclesiæ disciplina aperte suffragantur, in-

demnitati

1725.

demnitati opportunè consulatur, & antedicta Apostolica Privilegia ad æquitates limites reducantur: Hinc igitur est quod Nos omnia, & singula memorata Privilegia exemptiva à solutione Quartæ Funeræ quibusvis Ordinibus, Congregationibus, ac Institutis Regularibus ab Apostolica Sede, ut præfertur, quoad quocumque, & quomodocumque concessa præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, ac de eorum tenore substantia satis superque instructi, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & aliquot etiam Romanæ Curie Prælatorum à Nobis ad id specialiter deputatorum consilio, suadentibus etiam Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælati in præsentis Sacro Concilio congregatis, ac insuper Motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione, præmissa omnia Privilegia quoad Quartam Funeralem tantum pro locis infra exprimendis moderamus, reformamus, ad viam juris reducimus, & quatenus opus sit, etiam revocamus, & abrogamus, neque cuiquam deinceps suffragari posse, vel debere decernimus.

Præterea motu, scientiâ, & potestatis plenitudine similibus sancimus, statuimus, & mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus Insulis, à die publicationis præsentis Constitutionis in futurum Parochis Defunctorum, qui in Ecclesiis quoruncumque Regularium prædictorum tumulabuntur, persolvatur & cum effectu tradatur Quarta Pars omnium Intorticiorum & Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Ecclesiam tumulantem associabitur, nec non omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die funeris accendentur. A prædicta tamen Quarta Funerale exceptæ intelligantur, & sint Candelæ, quas Sacerdotes, etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus associantes, manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus assignetur Quarta Pars omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in Ecclesia, ubi Defunctus humatus fuit, circa Cenotaphium, seu tumulum honorarium, atque etiam in Altaribus ejusdem Ecclesiæ, accensa fuerint. Hæc porò omnia locum habeant, & exactè in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extrà suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive quia in Ecclesia tumulante, vel exponente Beneficium obtinuerit, sive quia ibidem Sepulchrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea Sepulturam elegerit. Cæterum sub prædicta Quarta Funerale comprehendendi non intendimus, imò expressè ab ea excipimus, legata Misarum, & Anniversariorum, hisque similia pia relicta ad favorem Ecclesiæ tumulantis, vel exponentis à Defuncto disposita; Circa quæ, ac omnia, & singula alia, de quibus in præsentis Constitutione mentio facta non fuit, Privilegia prædictis Regularibus Ordinibus ab Apostolica Sede concessa salva prorsus, illata, ac inviolata perpetuò permanere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quoad quocumque spectabit, inconcussè, ac irrefragabiliter observari debere volumus, decernimus, & mandamus. Ubi verò consuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel statuta vigerent, quæ præfatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorum prædictæ Quartæ emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in ijs, in quibus vigent, locis inconcussè ab omnibus observari motu, scientiâ, ac potestatis plenitudine paribus, sancimus, præcipimus, & jubemus.

Decernentes pariter præsentis Literas, & in eis contenta quocumque, etiam ex eo, quod prædictorum Ordinum Regularium Superiores, vel quicumque alij in præmissis interesse habentes, seu habere

quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, seu causa, propter quas præsentis emanarent, adductæ, verificatæ, seu alias justificatæ non fuerint, vel etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, aut alio quovis prætextu, & ex quocumque capite, colore, & causa etiam necessariò exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, in toto, vel in parte rescindi, retractari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, aut quocumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se juvare in iudicio, vel extrà nullatenus posse; sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, ac obtinere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quoad quocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari debere; sicque, & non aliter in præmissis per quocumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum dicti Palatii Apostolici Auditores, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, & secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quasi non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, & synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, nec non quorumvis Ordinum prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegijs quoque, Indultis, & literis Apostolicis per quocumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros eisdem Ordinibus, ut præfertur, illorumque Superioribus, & Professoribus quibuscumque sub quibusvis verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogationibus, & alijs efficacioribus, & insolitis clausulis, & Decretis irritantibus, etiam motu simili, & consistorialiter, ac alijs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specificæ, expressæ, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio faciendæ, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione digna præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac servatis respectivè habentes, hac vice dumtaxat, illis alijs in suo robore permanens, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentis Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla, ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curieque generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde ac tractare, & afficere ac si uniusque eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: utique ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscripitis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra il-

1725.

1725.

lud, ubique adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum voluntatis, declarationis, reformationis, moderationis, concessionis, assignationis, præcepti, sanctionis, mandati, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quinto, quarto Kalendas Maij Pontificatus nostri Anno Primo.

4. Kal.
Maii 1725.

P. M. Card. Oliverius.

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.
Loco † Plumbi. L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die vero 8. mensis Junij, Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & D. N. D. BENEDICTI Divina Providentia Pape XIII. Anno secundo, supradictæ Literæ Apostolicæ officis, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicorum Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis per me Franciscum Baldanum Apost. Cur. Antonius Pelliccia Mag. Cur.

Literæ in forma Brevis quibus diversæ annuæ contributiones, & applicationes pro augendis redditibus Seminarii Ecclesiastici Cæsenaten. demandantur, cum suppressione, & unione parvi Conventus Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini, aliisque Ordinationibus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Apostolicæ Dignitatis apicem, nullo licet nostrorum suffragio meritorum per ineffabilem Divinæ bonitatis abundantiam evecti, in his per quas Seminaria ad rectam adolescentium in bonis moribus, Ecclesiastica disciplina, literarumque studiis instructionem providè instituta nedum conferventur, ac jugiter persistant, verum uberiora quoque in dies suscipiant incrementa, pastoralis muneris nostri partes libenter interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Cum itaque, sicut accepimus, Seminarium Ecclesiasticum in Civitate nostra Cæsenaten. centum, & ultra ab hinc annis fundatum, & rectum reperitur cum modica dote, seu assignatione annuorum dumtaxat centum quinquaginta trium scutorum monetæ, quæ ex fructibus mensuræ Episcopalis, & Capitularis, ac Beneficiorum Civitatis, & Diocesis Cæsenaten. ad Sacri Concilii Tridentini decretorum præscriptum detrahuntur, & ob Cleri inopiam, atque exiguas, ac multiplices portiones, quæ hanc pecuniæ summam constituunt, duræ, & difficilis, ut plurimum, exactionis redduntur, neque alia eidem Seminario integri, & amplius ab ejus fundatione ævi decursu bona, quam parvi Conventus suppressi, ac cujusdam hereditatis cum onere alendi duos Juvenes ad quorundam Patronorum nominationem inibi admittendos ei aliàs relicta, ex quibus centum circiter scuta paris monetæ annuatim retrahuntur, huc usque obvenierint, aut quæstia fuerint, ita ut Seminarium prædictum, utpotè congruis, ac necessariis redditibus destitutum in incerto semper statu, ac periculo, nè sensim dilabatur, versetur, quandoquidem annui ejus proventus vix mercedi Præceptoribus, Ministris, ac inservientibus solvendæ, aliisque communibus sumptibus hujusmodi faciendis satis esse dignoscantur. Nos hoc sanctum, & pium opus à memorato Concilio Tridentino tantoperè commendatum, ac pro recta Puerorum Civitatis, & Diocesis prædictarum educatione, vel maximè necessarium, quòd nullum ibi adsit Collegium Clericorum Societatis Jesu, nulla-

que Domus Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei, Scholarum Piarum nuncupatorum, qui eos erudiant, ac instruant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere cupientes, non absimili ratione, quâ olim Seminarii Ecclesiastici Civitatis Syontin. cum Metropolitanæ isti Ecclesiæ præeramus, egestati, approbante Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita *, opportune prospeximus, ipsi Seminario Cæsenaten. subveniendum duximus. Idcirco motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine harum serie statuimus, decernimus, & mandamus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Confraternitas, seu Hospitale Sancti Tobia, necnon Confraternitates B. Mariæ de Suffragio, ac ejusdem B. Mariæ de Populo respectivè nuncupatæ dictæ Civitatis Cæsenaten. eidem Seminario Cæsenaten. annua quinquaginta scuta paria pro earum qualibet contribuere, ac realiter, & cum effectu præstare teneantur, & obligatæ existant; ita tamen, quod unicuique ex tribus Confraternitatibus ejusmodi nominare liceat singulis annis Puerum Civitatis prædictæ in eodem Seminario gratis alendum, & educandum, cujus nominatio hoc pacto fiat, nimirum pro parte cujlibet dictarum Confraternitatum, earumve Confratrum tres Pueri de dicta Civitate Venerabili Fratri moderno, ac pro tempore existentis Episcopo Cæsenaten. præsententur, ex quibus unus ab eodem Episcopo, quem magis idoneum, ac meliorem indolis in Domino judicaverit, deligatur. Præterea parvum Conventum de Cafacarella Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Augustini in Diocesi Cæsenaten. ruri positum, in quo duo soli Fratres ejusdem Ordinis de præsentibus degunt, unà cum illius Conventualitate, titulo, essentia, & demonstratione, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus tenore præsentium perpetuò exinguimus, supprimimus, & abolemus, ipsique Seminario in perpetuum unimus, & incorporamus, ac tam dicti parvi Conventus bona mobilia, & immobilia sacra, & prophana, domos, vineas, prædia, canones, responsiones, fructus, ac jura quæcumque, quàm alterius Confraternitatis sub Titulo Sanctissimi Rosarii ejusdem B. Mariæ Virginis juxta Ecclesiam Fratrum Ordinis Prædicatorum præfatæ Civitatis Cæsenaten. erectæ, cujus bona, dum Ecclesiam Cæsenaten. regeremus, inanibus litibus, & controversiis plerumque injustis adversus Fratres Ordinis prædicti, necnon temerè contra Jurisdictionem Episcopalem per tunc existentes ejusdem Confraternitatis Confratres agitantis abumi dolenter videbamus, omnes annuos fructus, redditus, & proventus cujuscumque quantitatis, speciei, & valoris existant, eidem Seminario itidem perpetuò applicamus, & assignamus. Decernentes pariter easdem præsentibus literas, etiam ex eo, quod prædictarum Confraternitatum Officiales, & Confratres, ac dicti parvi Conventus, illiusque Ordinis Fratres, & ceteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas præsentibus emanarunt, adductæ, verificatæ, aut justificatæ, ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, & substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem præmissis solemnitates, & quævis alia servanda, & adimplenda, servata, & adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite à Jure, vel factò, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultantem, etiam in corpore Juris clauso, sive etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, & quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, & privi-

*Sac. Congreg. S. R. E. Card. negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita 20. Novembris 1679.

1725.

legiata,